

---

SPONGIÆ, ALIARUMVE SUBSTAN-  
TIARUM PRÆPARATIO.

---

SPONGIA PRÆPARATA.

Hæc substantia est Nidus mollis elasticus  
Zoophyti, STIRPS OFFICINALIS dicti.

S P O N G I A exsiccata et ab heterogeneis  
adhaerentibus probe purgata eximii usus est  
per se ad lavanda vulnera post operationes  
chirurgicas et ad mundanda ulcera; nec non  
ad ulcera aut abscessus profuse suppurantes,  
illam superponendo linteo carpto.—Ad hæ-  
morrhagias sistendas applicando frequenter  
spongiam aqua frigida vel aceto madidam.—  
Ad prolapsum uteri forma pessarii.—In para-  
lysi sphincteris ani vel vesicæ ad urinam exci-  
piendam vel effluxum fæcum impediendam.  
Servit etiam ad fatus frigidos vel calidos  
applicandos, ad collyria oculo applicanda etc.

Humectata dein filo arcte circumdata  
et sic *per se* siccata; aut ceræ flavæ calidæ

566 LYCOPARDON BOVISTA.

liquefactæ immersa, dein fortiter expressa et  
sub prelo frigefacta, postea in portiones variae  
magnitudinis et formæ concisa egregii usus  
est pro *Turundis*, quæ vulnerum, ulcerum  
aut fistularum orificiis angustis immissæ  
eadem intumescendo dilatant, et sic puri  
exitum liberum creant.

BOLETUS LARICINUS.

IGNIARIUS.

Hi Boleti a cortice externo albo et duro,  
nec non a substancia fistulosa probe sepa-  
rentur; dein discussi ictibus mallei repetitis  
contundantur, donec adeo mollescant, ut in  
portiones minores discindi possint.

Usus : Hæmorrhagiæ ex arteria aut vena  
majori vulnerata.

LYCOPERDON BOVISTA.

Parenchyma molle spongiosum ac pul-  
verulentum quod sub cute externa est, sepa-  
retur et usui servetur.

Usus inspergendo : Hæmorrhagia; hæmor-  
rhois; ulceræ; intertrigo.

## M O X A.

In oriente paratur ex foliis Artemisiæ vulga-  
ris probe in umbra siccatis, quæ dein contusa  
manibus tamdiu persfricantur, donec species  
lanæ formetur, quæ addito pauxillo moschi,  
aut aliis substanciæ odoriferae in conos ef-  
formatur. In Europa hodie ut plurimum ex  
gossypio conficitur, quod solutioni nitratis  
potassæ saturatæ immersum, dein exsiccatum  
in cylindros quatuor pollicum longos et unius  
pollicis diametri formatur. Cylinder talis in  
tubum ex charta crassiori confectum immit-  
titur, et parti affectæ applicatus accenditur,  
et durante combustione sic facile digitis  
applicata tenetur. Postquam gossypium ad  
ultimam portionem usque consumptum fue-  
rit, pars usta unguento digestivo tegitur.

Usus in omnibus morbis ubi ferrum candens  
seu cauterisatio utilis inventa fuit, præ-